



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

De celeri profectu eius in studio Parisiensi. II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

statum per deuota exempla reparauit. Nam licet diu in seculari
vita insolens ac vanus intercesserit, tamen postea conuersus
humillimè ac deuotissimè in sancta paupertate & abstinentia
multa, vitam valde exemplarem exegit, quam & felici agone
optimè consummauit.

CAPVT II.

De celeri profectu eius in studio Parisiensi.

Hic itaque à parentibus ad studium Parisiense, sub annis a-
dolescentiæ missus est: & copiosis expensis præ multis
consodalibus affluens, saragebat (pro quo venerat) proficere
diligenter. Nec tunc quidem Christi gloriam studens quærebat;
sed magni nominis vmbra sequens, famam potissimum cura-
bat humanam.

2. In breui tamen, secundum communem studentium cursû,
ad altiora auidè nitens, ad magisterium (intellectu suffragante)
decimo octauo ætatis suæ annò promotus est. Adeptus ergo
hunc apicem, cum calleret ingenio ac seculari fastu tumeret, ec-
clesiasticis beneficijs insignitur; & inter plura beneficia, etiam
Aquensis Ecclesiæ canonicus inuestitur. Verùm latas adhuc se-
culi vias necdum inspiratus peruagatur, donec Deo miserante
in virum alium mutaretur.

CAPVT III.

*Quòd conuersio eius cuidam solitario in Colonia
fuit reuelata.*

Sed cum omnipotens & milericors Deus, qui facit mirabi-
lia magna solus, hunc doctum & famatissimum magistrû, à
præsentis seculi nexibus soluere decreuisset, modum conuer-
sionis eius duxit ad effectum. Cuius tamen conuersio homini-
bus inopinata & incognita, cuidam solitario in Colonia prius
fuit reuelata & prædicta.

2. Cum enim quodam tempore Coloniae esset, & secularibus
ludis intenderet vagabundus, præfatus solitarius nomen
& habitum magistri Gerardi expresse designans, prædixit
eius conuersionem citò complendam, & multis profuturam.
Vnde quidam hoc sciens, venit ad eum, vbi stabat, & ait: Quid
hic stas vanis intentus? Alius homo fieri debes. Quod ille de
se dictum, tanquam puerile factum existimauit, nec tunc quidè
multum aduertit. Sed Deus præcius futurorum, qui non fallit,
in breui tempore impleuit prædestinationis suæ verbum; reuo-
cans dilectum sibi Gerardum, à via iniquitatis ad sanctæ con-
uersationis statum, per quendam religiosum Carthusiensis or-
dinis virum.

CAPVT